

ignorans, non vacat prior Ecclesia ante præstitum a translato consensum, nisi secus exprimat a Papa. Ita Abbas in cit. consil. 101. n. 4. lib. 2. Fagnan, in cit. c. *Quanto* num. 96. et sequent. citans alios, Reiffenstuel lib. 1. *Decretal.* tit. 7. num. 4. Et ratio est, quia, quando Papa transfert Episcopum absentem, et ignorantem de una ad aliam Ecclesiam, non aliter solet transferre (nisi secus exprimat) quam sub conditione, quod is consentiat, vel expresse, vel saltem tacite, acquiescendo videlicet translationi de se factæ? Ita Joan. Monachus in c. *Generali* num. 10. *de Electio.* in 6. asserens se hoc vidisse pluries in curia declarari. In ipsa enim beneficiorum Ecclesiasticorum collatione subintelligitur conditio illa: *Si provisos consenserit*, ut legitur in c. *Si tibi absentem* 17. *de Præbend.* in 6. (63. Episcopus translatus potest secum deferre fructus jam perceptos. Ita Rota decis. unic. *de translato Episcop.* in antiquis, Card. Tuscus lit. T. conclus. 354. num. 10. Calderinus consil. 264. alias. 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* et alii passim; Redditi enim, seu fructus Beneficiorum dantur Clericis, ipsisque Episcopis ob ministerium, quod Ecclesiis exhibent in earum regimine, et cura, aliisque divinis obsequiis, c. *Cum secundum*, ibi de præbend. adeoque justum est, quod Episcopus translatus possit secum deferre tales fructus jam perceptos et exactos. (64. Episcopus translatus potest etiam secum asportare bona sua immobilia acquisita in priori Ecclesia, seu ex ejus fructibus comparata, dummodo hæc nondum sint Ecclesiæ dedicata. Ita Cardin. Tuscus cit. conclus. 464. num. 10. Calderin. cit. consil. 264. alias 2. *de Rebus Eccles. non alienand.* Reiffenstuel loc. cit. num. 48. Si enim episcopus translatus potest secum asportare fructus jam perceptos, poterit etiam secum deferre bona sua immobilia ex talibus fructibus comparata, quia res, quæ succedit in locum alterius, eodem jure censetur cum illa, c. *Ecclesia* 3. *Ut lite pendente*, junctis pluribus concordantiis, tum Canonicis, tum Civilibus, ibidem verb. *Successerunt* a Glossa allegatis.

(65. Fructus pendentes et inexacti non pertinent ad Episcopum translatum pro rata temporis, sed debent in utilitatem Ecclesiæ expendi, aut futuro successori asservari. Colligitur in c. *Cum vos* 4. *de offic. Ordinarii*, cap. *Præsenti* 9. eod. in 6. et tenet Glossa ibid. verb. *Reservari*, Petrus Barbosa in 1. *Divortio* num. 56. ff. *Solutio Matrimonio*, citans Rotam decis. unic. *de Translatione Episcop.* in antiquis, Bartolum, Paulum Castrensem, et Calderinum consil. 2. *De pecul. Clericor.* qui asserit secundum Juris communis traditiones istud esse indubitatum; Navarr. consil. 7. num. 7. *de Successionibus ab intestato* hanc appellans communem opinionem Rota in caus. Pharensi Pensionis 19 Junii 1573. relata per Garciam, part. 2. *de Beneficiis* cap. 1. n. 95, 108 et 109. hanc appellans communem opinionem, Hostiensis, Cardinal. Imola in cap. ultim. *de Pecul. Clericor.* Et ratio est, quia « fructus pendentes

pars fundi esse videntur » ut loquitur textus in 1. *Fructus pendentes*, ff. *de Rei vindicat.* unde donec fuerint collecti, seu a solo separati, una cum fundo spectant ad Ecclesiam, vel ad successorem in Beneficio ipso colligentem. 1. *Si usufructuarius*, ff. *Quibus modis usufructus amittit*, et § *Is vero*, *Instit. de rerum division.* ubi sic legitur: « Is vero, ad quem usufructus fundi pertinet, non aliter dominus fructuum efficitur, quam si ipse eos perceperit. Et ideo si maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad hæredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur. » Accedit Constitutio Julii III. incipiens: *Cum sicut*, confirmata per Urbanum VIII. in sua Constit. incip. *Aternus rerum Conditor*, in qua expresse statuitur, quod fructus Beneficiorum tempore obitus, Beneficiorum, etiam Episcoporum, vel Cardinalium inexacti spectant ad successores in Beneficiis, ubi non debent Rev. Camera Apostolicæ persolvi, et consequenter Episcopus translatus, utpote quoad priorem Ecclesiam civiliter mortuus, c. *In apibus*, 41. cons. 7. quæst. 1. nequit eos prætere, cum debeantur Successori. (66. Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui tenent, quod fructus etiam pendentes, propter spiritalia ministeria Ecclesiæ exhibita, pertineant pro rata temporis ad Episcopum translatum. Sic Covarruvias lib. 1. *Variar. resol.* cap. 15. num. 12. Flamin. Paritius lib. 1. *de Resignat. Beneficior.* c. 6. num. 79. et 80. Nicolaus Garcias p. 2. *de Beneficiis*, c. 1. n. 96. et seq. allegans alios, et Cardin. de Luca *de Beneficiis* disc. 84. num. 4. et disc. 100. n. 10. Et quantum attinet ad dictam Constitutionem Julii III. incipientem *Cum sicut*, et allegatam pro opinione contraria, Navarr. consil. 4. num. 1. *de Successionibus ab intestato* arbitratur non esse ubique receptam in Galliis, nec etiam in Hispaniis; et concordat Nicolaus Garcias *de Beneficiis* p. 2. c. 1. n. 103. et 104. citans insuper *Zec. de Beneficiis et pensionibus* c. 13. n. 8. atque ulterius ostendens, ipsam in Provincia Mediolanensi nunquam usu fuisse receptam; unde quantum ad hoc, standum est locorum consuetudini.

(67. Renunciatio Episcopi non valet, nisi per Papam fuerit admissa, cap. *Inter corporalia* 2. et cap. *Licet in tantum* 4. *de Translatione Episc.* Fagnan. in capit. *Cum ex illo* 1. *de Translat. Episcop.* n. 11. et communis aliorum. (68. Causæ ob quas Episcopus potest renunciare Episcopatu, et Papa solet admittere renunciacionem, sunt sex, quæ enumerantur in cap. *Nisi cum pridem* 10. *de Renunciacione*. Prima est *conscientia criminis*, non quidem cujuslibet, sed illius dumtaxat, quod post actam pœnitentiam impedit executionem Officii. Secunda est *imbecillitas corporis*, per quam quis impotens redditur ad exequendum Officium Pastorale. Tertia est *defectus scientiæ* etiam competentis. Quarta est *malitia Plebis*, ob quam interdum cogitur Prælatum ab ipsius regimine declinare. Quinta est *grave scandalum*, quod aliter se-

dari non potest. Sexta est *irregularitas Personæ*. Et istæ sex causæ exprimuntur in duobus sequentibus vulgaribus versiculis allegatis in Summario cit. cap. *Nisi cum pridem*.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis, Quem mala Plebs odit, dans scandala, cedere possit.

69. Renunciatio Episcopatus potest fieri dupliciter, scilicet renunciando loco tantum, et renunciando loco, et Dignitati simul, textu expresso in cap. *Requisivit 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu*. (70. Renunciatio Episcopatus renunciando loco tantum fit, quando Episcopus ob aeris intemperiem, vel ob persecutionem, et odium sive malæ Plebis, sive principis, Episcopatum in manus Papæ renunciat, dimittendo Diocesim dumtaxat, titulum tamen Episcopalem et auctoritatem retinendo. (71. Renunciatio autem Episcopatus renunciando loco, et Dignitati simul fit quando Episcopus ob zelum v. g. ingrediendæ Religionis, vel ut præveniat promeritam Depositionem, renunciat in manus Papæ nomen, et omne jus Episcopalis administrationis atque Ordinis, executionem respectu cujuscumque loci, retinendo solum ea, quæ sunt Episcopalis Ordinis, seu Characteris. (72. Episcopus simpliciter renunciatus Episcopatu censetur in dubio renunciassse loco tantum, non autem loco et Dignitati simul, nisi propter criminis conscientiam, seu ex metu Depositionis ita renunciaverit. Ita Hostiensis in *Summa* tit. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit*, § *Sed quid si simpliciter*, Abbas, ibidem, n. 8. Reiffenstuel., ibid., num. 3. (73. Renunciatio non subtrahit Episcopo Ordinem, sed solum executionem Ordinis. Glossa, in cit. cap. *Requisivit* verb. *Executionem*, Hostiensis, ibid., numer. 3. Fagn., ibid., num. 4., et communis aliorum, arg. cit., cap. *Requisivit*: (74. Nequit enim Episcopus renunciare Characteri Episcopali, neque ab Ecclesia potest ipsi auferri, unde tamquam indelebilis remanet in Episcopo etiam excommunicato, hæretico, deposito et degradato, cap. *Quod quidam* 1, quæst. 1, verb. *Si forte militia*, c. *Ordinationes* 9, qu. 1, c. *Licite* 32, quæst. 7, c. *Ostenditur*, dist. 4, *de Consecrat.*, cum concordantiis. *Vid.* articulo. antecedent., n. 35. (75. Unde Episcopus, qui renunciavit Ordini, seu dignitati, potest de licentia Papæ executionem reassumere sine nova consecratione, sic communis Doctorum teste Fagnano, in cit., cap. *Requisivit*, num. 6, ubi ex multis recte observat, quod idem sit renunciare Dignitati, et renunciare Ordini, cum renunciare Ordini sit renunciare executioni Ordinis, vel Digni-

(1) Episcopi Sacræ Congregationi de Propaganda Fide subjecti munia Episcopalia extra districtus jurisdictionis sibi ab eadem Sacra Congregatione assignatos exercere nequeunt, etiamsi Ordinariorum licentia et facultas accedat, sub pœna suspensionis Papæ reservata; ex Decreto ejusdem Congreg. ha-

tatis, ut communiter Doctores, in c. *Post translationem, de Renunciacione*.

(76. Episcopus, qui renunciavit Episcopatu, quoad locum tantum, potest conferre Ordines etiam majores, textu expresso, in cit., cap., *Requisivit 1, de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu*. (77. Dummodo tamen sit rogatus ab aliquo Episcopo, textu expresso in cit. cap. *Requisivit*, ibi: « Rogatus ab Episcopo aliquo poterit de ratione conferre. » (78. Aliter, si ordinaret sine proprii Episcopi licentia, ab eo ordinati essent suspensi, non quia sunt ordinati ab Episcopo post suam renunciacionem, sed quia sunt ordinati ab Episcopo alieno sine proprii Episcopi licentia. Suarez, Disp. 31, *de Censuris*, sect. 1, num. 3. Pirhing., lib. 1. *Decretal.*, tit. 13, num. 3. Reiffenstuel, ibid., num. 5. (79. Episcopus qui renunciavit Episcopatu quoad locum et Dignitatem simul, nequit licite Ordines Sacros conferre; cit. c. *Requisivit*, et ibi Doctores communiter. (80. Si autem de facto ordinaret, quamvis illicite, valide tamen ordinaret; cit. c. *Requisivit*, et ibi communis Doctorum. Et ratio est, quia Episcopus licet potuerit renunciare Episcopatu quoad locum et dignitatem simul, Characterem autem Ordinis Episcopalis indelebilem, sicque potestatem valide conferendi Ordines a se abdicare non potuit, cum Character animæ a Deo infusus, per ministerium hominis deleri, aut auferri non possit. c. *Quod quidem* 1, quæst. 1, c. *Ordinationes* 9, quæst. 1, arg. cit., c. *Requisivit*, et cap. *Quoda prædecessore nostro* 1, *de Schismaticis*, et ibi Glossa, et Doctores communiter, et patet ex dictis supra, num. 74, et art. antecedent., num. 35. (81. Ordinati tamen ab ipso remanent suspensi ab exercitio, et usu Ordinum receptorum, donec cum eisdem fuerit legitime dispensatum, cit. c. *Requisivit*, et communissima Doctorum sententia (1).

(82. Cum Ordinatis a tali Episcopo ignoranter ad Sacros ordines dispensat Episcopus suus, cum Ordinatis vero scienter ad Sacros Ordines Episcopus non dispensat, cit. cap. *Requisivit*, et ibi Fagnan., num. 1, testans hoc de communi. (83. Episcopus, qui renunciavit Episcopatu quoad locum, et Dignitatem simul, potest conferre Ordines Minores, nedum valide, sed etiam licite, si de consensu proprii Ordinandorum Episcopi id faciat; textu expresso in cit. c. *Reg.*, ibi: « Quia et hujusmodi Ordines a non Episcopis quandoque conferuntur. » (84. Si tamen sine consensu proprii Episcopi fuerint aliqui ab ipso ordinati, remanent suspensi ab executione susceptorum ordinum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, non

bite coram San. Mem. Innoc. PP. A. die 28 Martii 1651. Qui vero contra hujus Decreti formam Ordinibus fuerint initiati, suspensi declarantur a Sac. Congr. Episcoporum et Regular. Decreto edito 23 April. 1655. Regest. 35. Ita Macri in Hierolex. verb. Episcopus. (NOTA EX EDITIONE ROMANA.)

quia sunt ordinati ab Episcopo post talem suam renunciationem, sed quia sunt ordinati ab Episcopo alieno; unde indigent dispensari a proprio Episcopo, c. *Eos qui 2, de temporibus Ordinationum*, in 6, in c. *Nullus alterius*, etc. *Nullus Episcoporum*, etc. Lugdun. 9, quæ 2 et Concil. Trident., sess. 23, c. 8 de *Reformat.*, ibi: « Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur.... Si secus fiat, Ordinans a Collatione Ordinum per annum, et Ordinatus a susceptorum Ordinario executione, quando proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus, » et sic novissime statuit Innocentius XII, in Constitutione incipien. *Speculatores Domus Israel*, et quod Ordinati ad Minores a tali Episcopo, debeant dispensari a proprio Diocesano Episcopo colligunt ex ipsomet c. *Requisivit 1, de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu*, Vincentius Goffredus, Tancredus et Fagnanus qui exponunt literam ibi, poterit, id est *Dispensative*.

ADDITIONES AUCTORIS

(85. Episcopi etiam Cardinales residere tenentur; Benedictus XIV, tom. 2, Constit. 36, incipien. *Cum a Nobis*.

(86. Episcopis non licet abesse ab Ecclesia per tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi, nisi forte Episcopalia munia in aliis Diocesisibus eos detineant; Idem Constit. 18, incipien. *Ad universæ*.

(87. Episcopi post suam promotionem transacto mense ad suam Diocesim se conferre tenentur; Idem, ibidem.

(88. Episcopi ratione visitationis sacrorum Liminum, si præsent Ecclesiis citra montes, et citra mare positus, abesse possunt per quatuor menses. Si vero præsent Ecclesiis ultramarinis, et ultramontanis, abesse possunt per septem menses continuos; Idem, ibidem.

(89. Ubi insuper ad præcavendos abusus assignat quæ præcipiantur Episcopis postulantis licentiam abessendi a propriis Ecclesiis causa insalubritatis aeris; et quæ peccatis dictam licentiam aliis de causis; et qua forma, et quibus cautelis concedi eis debeat talis licentia; mandans denique, quod Episcopi residentes denunciare teneantur alios Episcopos non residentes. Videatur dicta Constitut. incip. *Ad universæ*, merito legenda et observanda.

(90. Hic juvat afferre, quæ tradit Bened. XIV, de *Synodo Diocesana*, lib. 15, c. 8, a n. 7, ad 9, inclusive, circa moderationem adhibendam in concedenda plurium Episcopatum in una persona coacervatione, inter quæ præstat delibare sequentia.

(91. Verum fel. record. Prædecessor noster Clemens Papa XII, cum sapienter animadvertisset, ex eo, quod uni eidemque personæ tot Episcopales Ecclesiæ permitterentur, eam ab Ecclesia Catholica, utilitatem, quæ sperabatur, minime percipi ex Pastoralis

officii sui munere huic rei remedium aliquod censuit adhibendum. Itaque cum vidisset, plurium Episcopatum consecutionem ex earum literarum concessione pendere, quibus eligibilitas indulgetur, cum scilicet huiusmodi Indultorum vigore, qui unicum habebat Episcopatum, et ad alium transire non poterat, nisi per ordinariam postulationis viam, faciliorem exinde semitam sibi aperiret ad aliam Ecclesiam assequendam; duo saluberrima Decreta edidit, quorum altero, tamquam regula, uteretur in posterum Congregatio Consistorialis, altero autem Brevium Secretaria. Hæc typis impressa, quantum scire potuimus, cum nondum fuerint, optimum esse ducimus hic ea inserere, ut perpetua eorum memoria servetur, et ut executioni opportune mandentur; cum ea plurimum conferre posse putemus, nisi ad tollendam poenitentiam, ad saltem cohibendam in Germania immoderatam in una eademque persona Episcopatum pluralitatem.

(92. Primum pro Congregatione consistoriali sic habet: Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XII, animadvertens, minime expedire, quod Episcopis in Germania, etiamsi sublimibus familiis orti sint, tam facile concedatur dispensatio ad effectum retinendi simul tres, vel quatuor ac etiam quinque Cathedralis Ecclesias, quarum Præsules temporali quoque dominatu potiuntur, præsertim cum experientia compertum sit, eas Dioceses ab hæreticorum erroribus magis esse immunes, quarum singulæ ab uno gubernantur Episcopo; hinc majorem deinceps circumspectionem in hoc adhiberi mandata, nec solum attendi exempla, sed peculiare perpendi singulorum casuum circumstantias, habita nimirum ratione temporum, personarum et Ecclesiarum; ita quidem, ut dispensationum impertiendarum norma sumatur potissimum a majori Ecclesiarum ipsarum bono ac utilitate. Quod si iis, qui alicui jam præsent Ecclesiæ, justis de causis a Sede Apostolica, aut jam fuerit concessum, aut deinceps concedi contigerit Indultum eligibilitatis ad aliam, declarat Sanctitas Sua, non per hoc censeri debere concessam dispensationem ad effectum simul retinendi prædictam quoque aliam Ecclesiam, postquam electio peracta fuerit; sed antequam electio ipsa a Sede Apostolica confirmetur, summa maturitate esse examinandum, an utilitas, vel necessitas talium Ecclesiarum, et Catholice Religionis tuendæ ratio postulet, impertiri huiusmodi dispensationem pro omnium retentione, vel potius in ejusdem electionis confirmatione poni oporteat decretum de alia Ecclesia dimittenda.

(93. Declarat itidem Sanctitas Sua non convenire ut indiscriminatum, nulloque delectu, et sine causæ cognitione, tribuatur Episcopis facultas retinendi simul plures Dignitates, aut Canonicatus Cathedralium, vel Collegiarum Ecclesiarum, tam in Germania, quam in Poloniæ Regno: per hoc quippe Divino cultui non medioere detrimentum affertur, Ecclesiæ debitis fraudantur obsequiis, et Ecclesiastica stipendia,

quæ congruæ plurium Ministrorum Dei sustentationi destinata sunt, in unam collata personam, incitamentum præbent ad luxum. Mandat itaque Sanctitas Sua, cautius quam hactenus forsitan factum fuerit, hæc etiam in re in posterum agi, et exemplis sepositis sectari in primis id, quod juxta locorum, Ecclesiarum, personarumque conditiones, ad ampliorem Dei gloriam expedire visum fuerit. Ne autem saluberrimi hujus moniti memoria obsoleat, vult Sanctissimus Pater præsens hoc Decretum asservari apud Acta Sacræ Congregationis rebus consistorialibus præpositæ, atque illud ab ejusdem Congregationis Secretario pro tempore, quotiescumque opportunum fuerit, in memoria revocari eorum, qui his de rebus consilium Pontifici Maximo daturi sunt. Hæc die 6. Januarii anno 1731.

(94. Altero Decreto, quod pro Brevium Secretaria conditum est, ita cavetur: Quamquam invaluerit usus dispensandi præsertim cum sublimibus personis, ut plures Episcopatus in Germania simul retinere possint, ob eam quidem sit justam et laudabilem rationem, ut adversus hæreticorum conatus Catholicam Religionem opibus, auctoritate, potentia sarta tecta tueantur; ex inconsulta tamen huiusmodi dispensationum frequentia, immoderatoque usu, gravissima in Christianam Rempublicam incommoda manare posse, exploratum satis est: vix enim, ac ne vix quidem sperari potest, ut qui tribus, vel quatuor, vel etiam quinque Cathedralibus Ecclesiis, magno locorum intervallo disjunctis, præsit, cum summa etiam in temporalibus potestate, eas omnes solerter ac fructuose, et cum animarum sibi commissarum salute regere valeat. Quo sane fit, ut ob Pastorem absentiam, et curarum, quæ ad temporales ditiones pertinent, copiam, neglecta spirituali Diocesum cultura, nec Catholicorum mores, quia a veteri instituto deflexerint, corrigi, nec Ecclesiastica disciplinæ nitor redintegrari, nec dogmata a fide aliena extirpari, nec eorum veneno polluti homines ad Religionis Orthodoxæ veritatem reduci commode possint. Itaque ne plurium Episcopatum in una persona coacervatio, sacrilicè legibus adeo invisa, quæ ex Apostolica auctoritate in ædificationem recte aliquando permittitur, perniciose cedat in destructionem, de Consilio plurium Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium decernimus et mandamus, ut in posterum ei, qui uni jam præsit Ecclesiæ, non nisi causæ cognitione præmissa, concedatur Indultum eligibilitatis ad aliam: si vero huiusmodi Indultum justa pariter causa concedendum videatur ei, qui jam duas regat Ecclesias, semper eidem Indulto inseratur conditio, ut prædictam Ecclesiam, ad quam eum eligi contingat, non aliter possit obtinere, quam una, quam maluerit, ex prioribus dimissa. Tres denique obtinenti Ecclesias Indultum eligibilitatis ad aliam nullo modo tribuatur. Enixe autem rogamus atque obsecramus in Domino Romanos Pontifices Successores nostros, ut ipsi quoque me-

mores sapientissimi moniti Tridentinorum Patrum in cap. 18. sess. 23. de reformat. salubrem hanc moderationis normam in dispensationibus prædictis omnino servari curent.

Datum ex Palatio nostro Quirinali hæc die 5 Januarii 1731.

(95. Episcopatum resignationes, quas sibi permitti postulant Episcopi, non admittuntur a Congregatione Consistoriali, nisi ex Canonicis causis recensitis in c. *Cum pridem, de Renuntiati.*, quæ tamen omnes ad id referuntur, ut clare constet, ipsos plebis suæ salutis prodesse amplius non posse Bened. XIV. de *Synodo Dioces.* lib. 13. c. 16. § 3. nov. edit.

(96. Causæ resignationis non tam rigore examine sunt in ordine ad Cardinales Episcopatum resignantes, dum volunt se conferre Romam ut assistant Summo Pontifici; Ita ex Fagnan. ibid. § 5.

(97. Episcopus translatus ex uno in alium Episcopatum frui potest redditibus Ecclesiæ, a qua discedit, usque ad illum temporis articulum, quo a Summo Pontifice in Consistorio a vinculo Prioris Ecclesiæ absolvitur; ex tunc enim prior Ecclesiæ vacare censetur, ut ex definitione Congreg. Conc. per Urbanum VIII. approbata, ibid. § 7.

(98. Neque idem Episcopus post absolutionem a vinculo, jure potest conferre beneficia, quæ post idem tempus vacaverint, uti decisum est in Tribunalibus Romanis: ibid. § 9.

(99. Interim tamen post pronunciationem, scilicet Pontificis in Consistorio, quoadusque hæc pronunciatio innotuerit Episcopo, remanet in eodem Episcopo jurisdictio non quidem ad conferenda beneficia, sed ad Diocesim gubernandam necessaria, uti provisum est in eodem decreto, seu in Brevi illud confirmante Urbani VIII. ibid. § 10.

(100. Si Episcopus in manus Paganorum, aut Schismaticorum incidat, et fiat captivus, Ecclesiæ administratio transit in Capitulum, quoadusque aliter disponat Sedes Apostolica Can. *si Episcopus de sup. neglig. Prælat.* in 6. quæ tamen vera sunt, si carcer Episcopi sit adeo arctus, ut Episcopum suum nequidem per literas adire Diocesani valeant. Ibid. § 11.

ADDITIONES EX EDITIONE ROMANA.

De tribus hic Auctor, videlicet de residentia, de translatione, tum de Renunciatione Episcopi.

(101. Ad residentiam quod attinet, ea satis præcipitur *Actorum* xx. 28. *Attendite* (inquit Apostolus) *vobis et universo Gregi in quo, Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (102. Quomodo enim attendere, quomodo regere poterit, qui præsens haud est? (103. Attendere non in absentem, sed in præsentem convenit. Non potest sibi attendere, nisi apud se sit, et secum habitet; sic neque Gregi nisi apud eum fuerit. (104. Pari modo nec absens poterit pascere, regere et dirigere Gregem.

(105. Audiendi non sunt qui putant posse Episcopum Gregem pascere per Vicarium.

Teste Maldonato in summa quæst. 10. artic. 3. 5. et 6. nomen « *Pastoris* (ait) significat actionem pastoralem, sicut nomen Medici. Itaque sicuti nemo potest per alium curare, ita nemo potest per alium suas oves pascere. Nequicquam valet responsio communis, satis esse per Vicarium laborare; quia per eandem Regulam satis esset manducare per alium, quia sit scriptum: qui non laborat, non manducat. »

(106. Nec residentia facit satis Episcopus si, pro lubitu non in sua Ecclesia Cathedrali, sed alibi in sua Diœcesi residet. Canon. 5. Concilii Carthaginensi V. prohibitum fuit « ne quis relicta principali Cathedra ad Ecclesiam aliam in sua Diœcesi constitutam se conferat. » Conformisque est Canon duodecimus Conc. Aquisgranensis II. quem Carolus Magnus *Capitular.* lib. c. 177. repetiit.

(107. Prohibitio translationis, si dicendum quod res est, fundata est in avaritia, et ambitione, quæ solet Episcopos impellere ad transeundum de una ad aliam Ecclesiam.

(108. Non ignoro esse, qui eam fundent in vinculo matrimoniali Ecclesiam inter, et Episcopum, de quo loquuntur Epistolæ Decretales sub nomine Callixti, et Evaristi, quarum fragmenta extant apud Gratianum caus. 7. quæst. 1. Can. 11. et 39. (109. Sed epistolæ hasce Decretales supposititias esse jamdudum monuerunt Viri eruditi; Vide Labæum in nota marginali ad Epistolam Callisti I. et Antonium Augustinum *Dial.* 4. lib. 2. de *Emendatione Gratiani.* (110. Innocentius vero III. non inficior in Cap. 4. de *Translation.* hoc ipsum vinculum matrimoniale urget, atque hinc infert in Cap. 2. et 3. eodem Titulo translationem soli summo Pontifici esse reservatam; sed confer hic Van-Espen. *Jur. Eccles. univers.* part. 1. tit. 15. cap. 4. § 18. et plur. sequent. caute tamen legendum.

(111. De renunciatione vide, qui ex priscis Ecclesiæ Canonibus recte de ea disserit. Bohemer. ad *Decret.* tit. *Hoc de renunciatione.*

ARTICULUS IV.

Episcopus quoad ea quæ concernunt ejus præcedentiam, sedem, celebrationem et pontificalia.

(1. Episcopi ubique gentium habent locum a Protonotariis Apostolicis, et quod in Episcopis sancitum est, ad Ecclesiarum Cathedralium auctoritate Apostolica electos pariter, et confirmatos extendit Pius II. *Constit. incipien. Cum servare.* (2. Episcopus licet Titularis, qui retinet Canonicatum, vel Dignitatem in aliqua Cathedrali, debet præcedere omnibus aliis Dignitatibus, et Canonicis etiam ipso antiquioribus; *Sacr. Congregat. Rituum in Ragusina* 22. Junii 1594. in *Ruthenon.* 24. Septembris 1605. in *Compostellana* 11. Julii 1617. et in *Calaguritana in Sardinia* 13. Novem. 1621. (3. Episcopus prius promotus, seu Electus ad Episcopatum debet præcedere alteri Episcopo post ipsum promotum, vel electo, etiam si sit ipso dignior et illustrior; *Sacr. Congregat. Rituum in*

Segobiens. 21. Martii 1609. (4. Circa præcedentiam inter Suffraganeos Episcopos Latinorum, et Episcopos Græcos, cæteris paribus, nulla alia ratio habenda est, quam temporis, seu promotionis ad Episcopatum; *Sacr. Congreg. de Propaganda Fide pro Polonia* 16. Februarii 1630. (5. Episcopus Diœcesanus in sua Ecclesia, et Diœcesi in functionibus Episcopalibus præferendus est omnibus Archiepiscopis et Episcopis, etiam ipso antiquioribus et dignioribus, Metropolitanano suo tantum excepto; *Sacr. Congregatio Rituum in Barchinonen.* 10. Januarii 1609. sed ex urbanitate debet honorare in sua Diœcesi alios Episcopos advenas et extraneos; Eadem *Sacr. Congregatio Rituum in dicta Barchinonen* (6. Præcedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus statuenda est juxta tempus Ordinationis, non autem secundum Dignitatem Ecclesiarum; *Sacr. Congregatio Concilii* 10. Aprilis 1596. (7. Episcopus debet habere pacis osculum ante Præsidentem, et Consiliarios Regios, et omnes alios; *Sacr. Congregatio Rituum in Granaten.* 9. Maii 1606. (8. Et quod Episcopus præcedere debeat quoscumque etiam Principes sæculares in sua Ecclesia, et Diœcesi, late, et solide probat Pignatell. tom. 1. consult. 7. per tot. adducens plura Jura, et *Conc. et præsertim Conc. Trident. sess. 25. cap. 17. de Reformat.* et varia Sacrarum *Congreg. Decreta.*

(9. Episcopus in Ecclesia debet in sublimiori loco sedere; cap. *Episcopus* 10. dist. 95. (10. Episcopus in Omnibus suæ Diœcesis Ecclesiis, quantumvis exemptis, et privilegiatis est honorandus, eique in Choro, in Capitulo, in Processionibus, ac in aliis actibus publicis primus locus, et prima sedes, quam ipse elegerit, danda est; *Sacr. Congreg. Rit. in Tullen.* 7. Decembris 1613. (11. Episcopus debet habere sedem pulchriorem, et majorem, quam Governator Civitatis, non tamen coloris rubei; *Sacr. Congreg. Rit. in Perusina* 3. Octob. 1615. (12. Episcopi sedes debet esse fixa et immobilis; *Sacr. Congreg. Rit. in Colimbrien.* 23. Maii 1603. (13. Episcopi sedes semper est ornanda; *Sacr. Congreg. Rit. in d. Colimbrien.* 23. Maii 1603. et in *Elven.* 10. Januarii 1605. (14. Episcopi sedes apud parietem contra Altare constituenda et locanda est cum decenti ornamento, et apud sedem Episcopi hinc inde sedes, seu stalla pro Dignitatibus, et Canonicis deponi debent; *Sacr. Congreg. Rit. in Trojana* 9. Octobris 1610. (15. Potest tamen Episcopus sibi sedem in Ecclesia extra Chorum ubicumque voluerit parare, dummodo etiam pro Canonicis locus paratur; *Sacr. Congr. Rit. in Granaten.* 9. Maii 1606. (16. Episcopus ad Matutinum in nocte Nativitatis potest sedere vel in Sede Chori, vel in Sede Episcopali a cornu Evangelii, prout melius sibi videbitur, et magis populo satisfecerit; *Sacr. Congreg. Rit. in Alexandrina* 25. Martii 1606. ad 15. (17. Sedes Episcopi in Ecclesia exempta, ubi Abbas usum Mitræ habens etiam sedem tenet, quando illuc accedit, est in cornu dextro Chori, sive Ecclesiæ

collocanda uno gradu eminentiori, cum ornatu congruo, et situ aliquatenus superiori respectu Sedis Abbatis, quæ in sinistro ponenda est uno gradu humilior absque ornatu, et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita Sedi Episcopali; *Sacr. Congr. Rit. in Alexandrina S. Petri in Borgolio* 7. Februarii 1603. et in *Decreto generali circa usum Pontificalium in responsion. ad 13. edit.* 27. Septembris 1659. et declaratur ab eadem *Sacr. Congreg.* 20. Julii 1660. *Vid. verb. Abbas,* ubi refertur per extensum.

(18. Episcopus tantum, et non alius, dum private celebrat, potest accipere paramenta in ipso Altari, et duos habere ministros superpelliceis indutos, præter alium ministrum Clericum, sive Laicum communi veste indutum; *Sacr. Congreg. Rit. in Cremonen.* 7. Julii 1608. (19. Episcopus potest de jure in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis quantumvis exemptis, et privilegiatis Missas, et Divina Officia cum assistentia suorum Canonicorum etiam in Pontificalibus celebrare, sive ab aliis, sine tamen Pontificalibus, celebrari facere, et in eis habere circulos, contradictores per censuras cogendo; *Sacr. Congreg. Rit. in Ferrarien.* 26. Jul. 1600, et in *Tullen.* 6. Decemb. 1613. (20. Episcopus extra suam Cathedrali etiam in Ecclesiis exemptis, et Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subjectis, intra fines tamen suæ Diœcesis existentibus, dum ibi celebrat, aut Missæ, seu Vesperis solemnibus quacumque ex causa interest, potest sibi assumere suos Canonicos et ibi habere cum eis circulum ad Gloriam, et ad ipsum pertinet confessionem facere cum Sacerdote, incensum ponere, et benedicere, ac benedictionem post Vesperas, vel post Missam dare; *Sacr. Congregat. Rit. in Alexandrina S. Petri in Borgolio* 7. Februar. 1604, in *d. Decreto generali circa usum Pontificalium in respons. ad 15.* (21. Unde Regulares tenentur in propriis Ecclesiis erigere Baldachinum Episcopo volenti ibi Pontificales functiones exercere; *Sacr. Congreg. Episcop. et Regul.* 10. Jun. 1603, et expresso mandato Clementis VIII, et penis, et Censuris ad id, vel statim ac impediunt quin Episcopus ipse illud attollere faciat, compelli possunt, ut appareat ex verbis ipsius Decreti relati ad literam sub verb. *Baldachinum* num. 6, vid. ibi. (22. Non possunt tamen Episcopi in Regularium Ecclesiis invitis ipsis Regularibus, exercere illas functiones Episcopales, quæ habent mixtam considerationem honoris et jurisdictionis, ut ordinare, degradare, chrismare, vel similia facere, quia hæc in literis non exprimuntur; Pignatell. tom. 10. consult. 106, num. 21, ubi dicit: Immo nec fortasse prædicare; *Diana part. 3. tract. 2. resolut. 109. Fagnan. lib. 1. Decretal. in c. Quia nos 7. de auctoritat.* tom. 1. p. 2, tract. 13, de *Exemption.* Religios. quæst. 74, num. 9. *Tamburin. de Jure abbat.* tom. 1. Disp. 15, q. 15, n. 10. *Matthæucci Officialis Curia* cap. 19, n. 36, et alii.

(23. Monacelli tamen tom. 4, supplement. ad. 2, tom. n. 392, ex *Ventriglia in Praxi* part. 2, annotat 26, § unico, num. 6, vers. *His*

præmissis, tenet tamquam verius, quod Episcopus possit etiam supradicta omnia facere in Ecclesiis Regularium, et exemptis, quia est in sua Diœcesi. (24. Hoc autem certum est, si Ecclesia Regularis, et exempta, sit Parochialis, quia ut refert Pignatell. loc. cit. num. 21. cum quæreretur in *Sacr. Congregatione Concilii:* « An Eminentissimus Episcopus Brixienensis in Ecclesia Parochiali Monachorum exemptorum possit administrare Sacramentum Confirmationis invitis ipsis Regularibus, et quatenus possit, an contra eosdem Regulares impediens dictam administrationem valeat censuris procedere: *Sacr. Congregatio,* re pluries proposita, et mature examinata, utraque parte informante, affirmative ad utramque dubitationem respondit » 9. Junii 1657. arg. cap. *Responsio* 43, de *Sentent. excomm.* Sicut enim Episcopus tamquam primus Parochus potest procul dubio baptizare in Ecclesiis Parochialibus Regularium, ita etiam ibi Chrisma conferre, illudque ministrare; arg. cap. *Quoniam, de Sentent. excommunic.* in 6. (25. Supradicta autem non debent extendi ad Vicarios Episcoporum, etiam absente Episcopo, ex declaratione *Sacræ Rit. Congreg.* die 10. Julii 1621. quæ declaravit « non posse hujusmodi Vicarios, invitis Regularibus, erigere Baldachinum in eorum Ecclesiis. » (26. Nec etiam supradicta extendi debent ad Episcopum Titularem suffraganeum; Si enim accederet ad Regularium Ecclesias Episcopus Titularis suffraganeus ad celebranda Pontificalia, non deberet ei erigere Baldachinum, nam talis usus, et honorificentia, nec in Ecclesiis suis, nec in exemptis Diœcesibus, nec extra Diœcesim illi competit, quamvis accederet de licentia Ordinariorum, ut respondit *S. Cong. Rit. Episcopo Titulari suffraganeo Hildesimen.* 5. Martii 1706.

(27. Episcopus, qui celebrat tempore Quadragesimæ singulis diebus, quando non celebrat solemniter, debet uti habitu quotidiano cum Stola; *Sacr. Congr. Rit. in Spoletan.* 23. Novembris 1612. (28. Episcopum celebrantem non decet, ut Prælatos, Canonicos, et alios quoscumque thurificet, et aqua benedicta aspergat; *Sacr. Cong. Rit. in Uladislavien.* 2. Martii 1613. (29. Episcopo celebranti, sive faciat ordinationes, sive non, tenentur assistere quinque Personæ juxta formam libri Pontificalis; *Sacr. Cong. Rit. in Jacen.* 5. Januar. 1606. et in *Barbastren.* 17. Junii 1606. (30. Episcopo celebranti debet assistere prima Dignitas in Ordine Presbyterali constituta quocumque nomine appellatur; *Sacr. Congreg. Rit. in Vercellen.* 7. Augusti 1610. (31. Episcopus volens exercere Pontificalia extra Ecclesiam Cathedrali, potest secum aliquos de Capitulo ducere, qui sibi assistant, et administrent; *Sacr. Congreg. Rit. in Egitanien.* 3. Augusti 1602. in respons. ad dub. 4. (32. Episcopo Pontificaliter celebranti in Ecclesia Collegiata, vel Parochiali assistere spectat ad Canonicos Cathedralis, si adsint, non ad Canonicos Collegiatæ; *Sacr. Congreg. Rit. in Brundusina* 15